







19.

Pro. 31. num. 13.

1770/61.

EXERCITATIO IVRIDICA  
QVAESTIONES

*De remissione delinquentium  
continens.*

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

18

P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTISB. CAPITVL. CVR.  
IN PROVINCIA SVPREMAE IVDICI LVSAT. INFER.  
NEC NON FACVLTE. IVRID. ASSESS. ET  
ACADEM. DECEMV.

406  
p. 406

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XX. SEPT. MDCCLXX.

PVPLICE DEFENDET

A V C T O R

CAROLVS CHRISTIANVS MARBACH

SCHANDAV. MISN.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA









PERILLVSTRI  
ATQVE  
EXCELLENTISSIMO DOMINO  
DOMINO  
CAROLO FERDINANDO  
LINDEMANN

SERENISS. PRINC. ELECT. SAX. CAMERAE REGVMQVE  
METALL. PRAESIDI VICARIO

PATRONO SVO INDVLGENTISSIMO







V I R  
EXCELLENTISSIME ATQVE PERILLVSTRIS.

**N**am dudum animus erat, quacunqve fieri  
possit, opportunitate, TIBI, commendari.  
Vel enim videam a TE tot praeclare gesta,  
vel audiam ceteros de TE differentes, summe elucescunt,  
quae vnquam potuerunt in hominem cadere, virtutes,  
consilia, eruditio. Tanta autem vteris tum erga  
omnes, tum imprimis litterarum cultores, indulgentia,  
vt difficile sit iudicatu, ingenii magis quis admiretur  
dotes, an amet in TE virtutes animi. Quam ob rem  
deposito omni timore, non spero solum, verum etiam  
confido, me excusatum iri, qui et huncce libellum et



me ipsum ex aliqua parte TVOS facere audeam. Effi-  
cies profecto, ita enim TVA animi benignitas, ita ex-  
empla in TVIS clientibus spondent, ut res meae, morte  
optimi parentis ante paucos hosce dies, miserrimae,  
solatium quoddam reperturae sint. Ego quidem, quan-  
tum in me est, in eo, dies noctesque elaborabo, ut me  
TVO patrocínio plane dignum aliquando reddam, Deo-  
que supplicabor, ut TE et Perillustrem TVAM gen-  
tem usque diutissime florentes conseruet

PERILLVSTRI  
TVO NOMINI

*addictissimus cliens*

CAROLVS CHRISTIANVS MARBACH.







§. I.

**N**ostra aetate cum imprimis laborent principum studia<sup>a)</sup> aequae ac Ictorum industria<sup>b)</sup> in emendando iure criminali tum ob nimium rigorem, tum interdum parum aptas ad eruendam veritatem leges, nil alienum a moribus nostris fecero, petita instar speciminis edendi, exinde materia.

§. II.

Est autem animus quaestiones nonnullas de remissione delinquentium, quatenus absolutae necessitatis fit, proponere, quod res non exigui momenti esse videtur.

§. III.

a) Vid. *Praeliminar Schrift zum jüngsten Landtage* Dresdae 1769.

b) Illust. Hommelii D. de emendando processu Sax.



## §. III.

Habetur nobis delinquens is, qui commisit crimen, quod ex legibus poena publica afficitur. Quamquam enim ex subtiliori, qua societas civilis continetur, ratione, vel eum deliquisse dicas, qui cuiuscunque Principis iustae volitioni de actionibus subditorum non pareat <sup>c)</sup> tamen, cum nonnulla ad publicam satisfactionem princeps sibi referuarit, quemadmodum apud Romanos quaedam delicta erant iudicii popularis <sup>d)</sup> et quae sunt aliorum moribus turpia, non aequali lance apud ceteros ponderentur, <sup>e)</sup> is recte dicitur delinquens, qui crimen commisit, cuius cognitio ad iudicium magistratus punientis peruenit, cuiusque satisfactio ipsi debetur reipublicae. <sup>f)</sup>

## §. IV.

Esto itaque prima omnium quaestio, an remissio inter gentes necessaria sit? Affirmo, ita ponendo rationes: Respublica omnis conditur bilaterali conventionione de pace externa principis auctoritate, fandi-

- da,
- c) Boehmeri Elem. Iur. Crim. Sect. I. c. II. §. XXVII. l. 4. ff. de poenis
- d) l. 2. §. 16 et 23 ff. de O. I.
- e) Hinc nata sine dubio, diuersitas sententiarum inter ICTos in idea constituenda ambitus iurisdictionis criminalis vid. *Meisters vollständige Einleitung zur peinl. Rechts Gelehrf. V. Theil 12 Hauptst.*
- f) Hinc actiones apud Rom. ex delicto, aliae erant, rei perfec. aliae poenales.



da, defendenda. <sup>g)</sup> Quicumque igitur societati civili adscriptus est, posteaquam pravis moribus leges violauit, hostis fit reipublicae, quae habet ius vlciscendi; altera autem gens, cum et in statu naturali ita iuris stricti esse censeatur, ius suum persequentem citra legum diuinarum violationem, prohibere non potest. Accedit, quod altera respublica alterius iuri in ciues suos quaesito iuste non derogat, et esset profecto, si quidem liceret, denegare delinquentes, condita vna societas civilis in alterius detrimentum. Quod, non est facile, qui inficiari queat. <sup>h)</sup>

§. V.

At, inquires, quid competat iuris in reis persequendis, alteri in meas prouincias? Respondeo. Debet populus, ad quem confugit reus, velle finem, vt alteri satisfiat. Ergo debet et concedere media, nec prohibere, quo minus, quis amissum ius possit recuperare. Neque etiam volumus hoc, populum, vt alterius populi iudices aut ministri nulla venia impetrata, reorum abducendorum causa, suos fines ingrediantur, pati debere, quo sine dubio libertati eius atque aequalitati cum insigni potestatis in territorio fundatae, im-

minu-

g) Hobbes. de Ciue Libert. c. V. p. 76.

h) Huber de Ciu. Sect. II. c. VI. Solent, ait, gentes sponte remittere delinquentes, quin, si denegarent, iuri gentium ad versari videri.





minutione, detraheretur, sed nullam gentem magis posse alteri requirenti repetentique ciues suos criminum reos, quam repositenti res suas denegare sine iniuria.

§. VI.

Quid vero? si delinquens simulans se ex bona fide; soluta gabella, transmigrasse fines, ciuitati se expresse adscribi patitur. Habet altera gens, cuius factus est ciuis, ius ciuem suum ex recentiori conuentione retinendi ac defendendi: Est alicuius momenti argumentatio. At tantum abest vt id fieri posse, recti putetur, vt potius puniendus sit, qui alteri iuris adipiscendi facultatem dedit, quum ita positus pro libero potuit reputari nullo modo. I unum vero laesae genti non recte ideo negatur remissio certanti de prioritate iuris, quum adsciuerit ciuem, quem gens sua vinculo antiquioris obligationis nondum liberauerat.

§. VII.

Moris est hodie scripta citatione aut litteris arrestatoriis, euocari reos, quod, si longe emittatur, fit vt aiunt, *per aviso terno*. Quod si igitur, facta hominis fugitiui longa, ne dicam, parum fructuosa plerumque descriptione, eo, vbi latet, fama perueniat, quaeritur, an statim deprehendendus et remittendus sit? Solent, quod officium laudari scio in Batauis, ea in re liberaliores esse gentes. Nulla vero adductae necessitate. Quippe obligationis quidem est, permittere, vt alter



❁      ❁      ❁

II

alter, inuestigando, prosequendo recuperet suum ius, at ipsum adiuuare, ni fiat humaniter, non est. Quae regula tamen limitari debet in casu, cum gens alteri genti requisitionem atque deprehensionem reorum in suis terris non permittit. Tunc enim necessitatis esse repetenti ciuem suum delinquentem populo reddere, ex his, quae posita sunt principiis, facile liquet.

§. VIII.

Quid obtineat inter Ordines Imperii, si quando quaestio oriatur, dicturis exulat omnis, ratione iusti inutilis distinctio. <sup>1)</sup> Obligantur huic officio tum per se, quod eorum vnusquisque vel communi vel singulorum saluti consulere debet, et eorum iura tueri, inter quae referenda profecto ex communi Germaniae obseruantia, fori criminalis concessio, <sup>2)</sup> tum specialioribus LL. Imperii. Quid enim? Tanta debet profecto esse pacis publicae auctoritas, vt vel argumenti noticia id iubere videatur. <sup>1)</sup>

B 2

§. IX.

- i) Moseri Compend. Iur. publ. Regni Germ. L. IV. c. II. Putteri Elem. Iur. Publ. Germ. P. I. c. I. Diuis. 14.
- k) Eandem, iisdem pene rationibus fundatam opinionem tuetur *Meister in der Einl. zur Peinl. Rechts Gelehrs. V. Theil 13 Hauptstück §. XXVII.*
- l) „Land Friede 1548 Art XVI. *Es soll solche Thäter niemand hausen, herbergen, ärzen, träncken enthalten, oder Fürschub thun in seiner Obrigkeit, Eigenthum und Gebietz.* Gail de pac. publ. c. XVI. n 30.



## §. IX.

Non itaque audiendus Engelbrechtus. <sup>m)</sup> „Iu-  
 „dex, ait, loci, vbi delictum patratum, non potest ex-  
 „igere, vt delinquens in alieno territorio deprehensus,  
 „ad locum delicti sistatur.“ Qua in re demonstranda  
 ita versatur: „Iurisdictio Ordinibus non iure magistra-  
 „tus, sed vi superioritatis territorialis competit, nec de-  
 „nique regalia extra territorium exerceri possunt. At  
 quae conclusio? Quod iurisdictionis penes Ordines Im-  
 perii alia est atque Praetorum Rom. in prouinciis ori-  
 go, recte illi in denegata remissione fecisse censendi  
 sunt. Regalia proprie limitibus territorii continentur.  
 Ita est: At non tantum in territorio, sed et in perso-  
 nis ciuium fundata est principum potestas. Itaque  
 alter status, fugitium ciuem, criminis reum occultans  
 atque defendens, nec requirenti populo hominem ex-  
 hibens, procul dubio, ius Statuum commune it per-  
 ditum. Nam et amplissimam et liberrimam in terri-  
 torio suo potestatem exercere non debet, nisi salua vti-  
 litate publica et sine alterius iniuria. <sup>m)</sup>

## §. X.

Incredibile est, quot legibus conuentis sese Or-  
 dines Imperii ad pacem internam seruandam, reos  
 persequendos, et de iis poenam sumendam obligarunt.  
 Praeterquam enim, quod ipsis in vniuersum facinero-  
 sos

m) D. de Seruitut. iuris publ. S. II. m. II.



fos animaduertere singulari curae fuit, tum nihil praetermissum, quod in persecutione, infestatione reorum faciendum cogitando quis assequi potest. n) Ipsa haec persecutio dicta maioribus nostris sequela praefectoria *Die Nach-Eyle Nach-Folge, Nach-Jagd.* o) Ac quam alias fractae pacis publicae soleat haberi, sine acquisita prius permissione in extero territorio quid agendum suscipere, tamen ubi persequendi sunt malefici homines id fieri libere conceditur. Quin occupatus in persecutione, nisi armis virisque satis instructus est, recte alterius rogati auxilium expectare potest. p) Nec denique cetera, quae consueverunt, subsidia deneganda, quibus eo facilius possunt deprehendi delinquentes. q) Quod si itaque leges Imp. fundamentales persecutionem hanc extra territorium etiam permiserint, ceterosque simul ordines obligarint adiuuando quocumque modo persequentes, quo ipsis satisfiat, eo magis crediderim, hinc ipsos obligari ad reos exhibendos in alieno territorio deprehensos, cum quempiam omnia ex vi obligationis deceat fideliter facere, quibus pax publica et securitas territoriorum haberi possit.

B 3

§. XI.

n) R. Imp. 1555, 1559 huc faciunt.

o) R. I. 1548. §. 20 Müller de sequela praefectoria.

p) R. I. 1559 §. 23.

q) Ibidem nominantur *Sturm und Glocken Streich, Ausschiesung der Büchsen.*





## §. XI.

Equidem, vt ceteros audiamus, memini plerisque eius rei principia ita ostendere, Primum, quod sciunt, humanitatis officium ceneri vulgo, dictam remissionem, quemadmodum, eadem iura, nec tamen eodem iussu in diuersis prouinciis seruantur, cunfundunt, vt, ita loquar, rationem iuris territoriorum et vnus territorii, et quod triplex est, alternatiue acceptum in prouinciis Germaniae, delictis forum competens, nihil existimant interesse, quoniam eorum puniatur reus, etiamsi sit extra territorium. Nitatur hoc tandem assertum longa et approbata consuetudine. Quod conceditur in vno territorio, vbi publici emolumentum duxerunt, quam plurima haberi fora, vt eo certius obueneri possit improborum machinationibus, parci sumtibus in inquisitionem ob delinquentis arcescendi difficultatem erogandis, at in diuersitate prouinciarum diuersi principis, triplex forum, vt infra patebit, non est, nec mandato praesumpto in satisfactionem alterius vindicari delictum potest, quum haec iuris civilis regula minime conueniat, Statibus Imperii nolentibus. Eodem modo, quod v. c. iudici apprehensionis extra territorium competentiae auctoritatem largiuntur, contra iudicem delicti his argumentis incedunt: „Neutrius iurisdictionis per alterum villo modo potest minui aut restringi, sed quilibet iudex suo iure agit, quae

com-



communis utilitatis sunt. <sup>1)</sup> At iudex delicti maiori cum veritate poterit eodem argumento vti, contra alterum iudicem aperte huic regulae primo actu refragantem. Simili ratione si esset vtendum, corrueat ab illis prolata, exposita vberius iudicis criminalis notione. Iurisdictio criminalis potissimum est inter iura maiestatica. <sup>2)</sup> Statuum Imperii inter superioritatis territorialis. Iudex itaque, etiamsi sit in iurisdictione patrimoniali, debet esse is, qui a principe publice constitutus, actionibus ciuium vel ad certum numerum vel intra certos fines principis nomine ius dicit. Hic sensus proprius, hic, ni specialiter contrauentum, ne iurisdictionis quidem vnus exilire terminos potest. Multo minus applicari alieno territorio. Quippe reus, in exteri territorii finibus latens, eius iudici actionum suarum iustitiam tempore perpetrati delicti, nulla conditione commiserat, nec quicquam mali in eius districtu patrauit. Ergo nulla competit iuris dicundi vis atque pote-

<sup>1)</sup> Ill. Boehmerus ad Carpzou. Iurispr. Crimin. Qu. CX. n. VII.

<sup>2)</sup> Congruunt hac in sententia Romani ac Germani. Illis hinc iurisd criminalis, imperium merum, dictum. De his Tacitus de M. G. C. XII. Licet, ait, apud concilium accusare et captis discrimen intendere. Post Germanis dicta alta iurisdictione *Blut-Bann Zent. Gerichte*. etc. atque exercita ab ipsis regibus teste I. P. Sax. *der König wählet man zum Richter über eines jeglichen Mannes Leib*. Concessa demum Imp. nomine exercenda Praesidibus ac Comitibus prouinciarum vsque dum coepta feri pars superioritatis territorialis.





potestas. Vt taceam, vnius territorii crimina ad alterius censuram non pertinere. Quemadmodum nec ab isto satisfactionem exigas, qui tuorum iurium constantiam nullo modo violauit.

§. XII.

Nihilominus longa consuetudine increbuit mos, qui nunc fere pro lege stat, vt remissio reorum solius humanitatis per Germaniam habeatur, <sup>t)</sup> Quod si tamen fieri enim potest, vt delinquentis ob personae aut criminis magnitudinem non facilis sit iactura, oriatur controuersia, nisi amice, quod consueuissse intellectum saepe numero est, componatur lis, aut aliquid recentioris pacti placuissse Imperii Ordinibus, quod non liquet, possit ostendi, posset forsitan ex dictis formulis videri causa violatae superioritatis territorialis. Quam tamen arduam et difficilem quaestionem decidere non audeo.

§. XIII.

Etenim, cum iudicetur humanitatis remissio in Germania, non mirum inter quosdam specialiter, de necessitate esse conuentum. Cuius rei exemplum perhibet conuentio d. XXII. Ian. 1767. inter Electorem Brandeburgicum et Duces Megalopolitanos inita: <sup>u)</sup>

*Ibro*

t) Carpzou Proc. Inqu. etc. Qu. CX n. 45. ad hunc Boehmer ibidem. Stryckius Vfus moder. ff. de iudiciis §. XXVI.

u) Brunnemanni Proc Inqu. C. III. n. IX.



Ibro Chur und Fürstl. Gnaden wollen auch einander die Räuber, die unter einem von höchst und hochgenannten Fürsten gefessen, unter einem andern aber aus I. Chur und I. Gnaden Mitteln gefangen worden, nicht vorenthalten, sondern vielmehr auch ohne allem Revers, (dem hiermit und in Kraft dieses soll allbereit caviret seyn, das es dem remittirenden Herrn an seiner Landes Hobeit und Gerechten unnachtheilig seyn soll,) remittiren und zukommen lassen, doch, das der Chur und Fürst, an welchen er also remittiret wird, allermassen wieder ihn mit der Execution verfabre, wie hierinnen gemeldet stehet.

§. XIV.

Si cum exteris gentibus in hoc argumento res sit Ordinibus Imperii, vtuntur ratione iuris gentium, propterea quod, modo ne quid fuscipiatur, quo damnum nascatur Leg. Imperii, et Caesareae Maiestati libere cum extraneis agunt. v)

§. XV.

Iure naturali applicato ad societatem in defectu legum ciuiliū, admittendum vnice est forum delicti. w)  
Iudex enim de eorum iustitia recte iudicaturus sedet,  
quae

v) P. W. §. Gaudeant.

w) Idem sentit. Meißner I. c. V Tb 13 Abschn. §. XXXV.  
p. 674.





quae in tractu terrarum, quae pro iurisdictione est, male peraguntur. Accedit, quod plerumque iudex delicti, optimam eius vel ipse habere vel a ceteris cognitionem adipisci potest. Denique, quemadmodum multa differendo ostendit Leyserus <sup>2)</sup> aliis tamen non idem statuentibus, <sup>3)</sup> ita egregie salutis reipublicae conuenit.

### §. XVI.

Quapropter eo rectius fecerunt Romani, qui necessario reos fuisse remittendos ad locum delicti ad magistratum cum imperio, disposuerunt. <sup>2)</sup> Quem morem et Germanos olim secutos fuisse, colligitur fere ex iure Prouinciali Saxonico. <sup>1)</sup> Nos, utriusque populi lege neglecta tria agnoscimus fora criminum puniendorum: *domicilii, delicti, apprehensionis*, <sup>b)</sup> licet haec diuisio et Rom, et patrio iure ignoretur. <sup>c)</sup> Nihil itaque interest, hodie, quinam iudex poenam exequatur,

<sup>1)</sup> In medit. ad ff. de iud. §. LXXIV. n. 7.

<sup>2)</sup> Gaertneri, c. D.

<sup>3)</sup> l. 7. §. 4. l. ult. ff. de Accusat. l. 3. ff. de re mil. Mylius D. de remissione facinerosorum C. II.

a) Sächsfl. Land Recht L. II. Art. 71. „Fleucht er zu Dorff oder „Stadt oder Burg in ein ander Gericht, man soll die Gericht „vernehmen, und man soll ihn fordern zu rechten Gerichte.“

b) Boehmeri Elem. Iurisprudentiae Crimin. sect. I. Cap III. § LVIII.

c) Meisters Einl. 13 Hauptstck V Theil §. 2.3.



tur, et habet regula locum: processus praeuenientis, facit filere processum praeuenti.

§. XVII.

Factum tamen est, vt vel ratione delictorum vel priuilegii personarum, nonnunquam remissio sit necessitatis et indicatur. In Saxonia I.) Si reus in praefectura crimen satis magnum commisit, eo remittendus est. <sup>d)</sup> II.) Si iam inquisitione coepta reus aufugerit, deprehendatur alibi. <sup>e)</sup> III.) Studiosi, qui non nisi coram Rectore accusari possunt, dummodo Academiae exercitum altae iuris dictionis competat. <sup>f)</sup> IV.) Milites, ratione delicti militiam concernentis <sup>g)</sup>. In ceteris enim missi militia sponte fere extraduntur. V.) Officiales principum, qui in ciuitate delinquant, vbi princeps curiam habet. <sup>h)</sup> VI. Clerici iuste euocantur ad Episcopum aut Consistorium pro delicti diuersitate atque inquisitionis numero. <sup>i)</sup> VII.) Dicunt, necessitatis esse,

C 2

- d) *Chur. Sächs. Landes Ordnung 1555. das man die Uebelthäter so in Aemtern verbrochen, und entworden wiederum folgen lassen soll.* Res Grau. 1661. § 45. Tit. Von Cammer Sachen. Bergeri Elect. Ipr. crim. suppl. Qu. VI. Ill, Winckleri Coroll. Iur Crim. Lips. 1770,
- e) Carpzovs Inqu. und Achts Process T. I. A. IV. n 3.
- f) Auth. habita C. ne filius pro patre etc. Carpzouii Lib. II. Resp. 32 n. 18.
- g) Tit. Cod. de offi mag. mil. l. 9. ff. de custod. et exhibitione reorum.
- h) Berlich T. I. Concl. 2. n. 32.
- i) Cap vlt. extra de foro Comp. Zanger de exception. T, II. C. I. n 227.





esse, si fiat ad confrontationem, praestita cautione de libero reditu.<sup>k)</sup> VIII.) Si iudex ob pignorationem vel personam, vel rem deprehenderit.<sup>l)</sup>

§. XVIII.

Nec dubitandum, IX.) ius recuperandi delinquentes, diuturna, nec interrupta consuetudine posse acquiri, ita tamen, ut quod est res merae humanitatis, iuris dictio primum recusans alteri iubenti per continuatam temporis lege definitam possessionem, etiam sine litteris reuersalibus obtemperarit. Priuatum autem erga principem vel mediatum, vel immediate usufructu certe in Saxonia expediti iuris est.<sup>m)</sup> Cuius rei exemplum ad ducit Engelbrechtus.<sup>n)</sup>

§. XIX.

Ab hoc fere communi Germaniae iure seruando Romanum defecit Lusatae superioris. Quapropter prae ceteris, notanda capita haec: Primum eodem priuilegio, quo Ferdinandus I. omni possessori feudi atque magistratibus Hexapolitanis anno MDLXII. iurisdictionem superiorem concessit, ipsos simul obstrinxit ad reos necessario exhibendos. Dein quiescente aliquamdiu hac lege, ortisque denuo post bellum tri-

k) Tabor de confront. P. I. n. 38. Stryck. in usu moderno ff. de iud. §. 28.

l) Leyser in Meditat. ad ff. specim. LXXIV. n. 3.

m) Bergeri Oecon. de Domin. §. 25. n. 3.

n) de Seruit. I. publ. S. II. Mem. II. p. 137.



cennale, vbia statibus Landfafficis in Comitibus MDCLIII. iterum arrogata est, controuerfiis o) numne et pertineat ad Hexapolitanos, ius aequabile tandem vtrifque ex Rec. comitali anni MDCVIIC. praefcriptum fuit, p) Ceterum, quot inter lites fluctuarit femper in Lufatia Sup. exhibitio reorum, praeclare exposuit Gaertnerus. q)

§. XX.

Quo iure transfugae, (vulgo *die Deferteurs*) cenfendi fint patet ex fupra dictis. Ponendi fane inter reos, quandoquidem tum per fe, tum fpecialiori facramento principi fide obftricti funt. r) Sed quemadmodum in ceteris delictis remiffio in Germania folius vrbانيتatis iudicari folet, ita et ius eft in caufa trafugarum. Quapropter et in Elect. Saxoniae cum exteris extant conventiones, quae vocantur *Cartels*, quibus fancitum, vt vnusquisque transfuga, pedes fit aequus cum armis, equis, et cinctura militari deprehendatur, et praefcra folutione *eines gewiffen Cartel und Atzungs Geldes* s) ad certum locum cuftoditus remittatur.

C 3

§. XXI.

o) Corpus Iur. Lufat. Sup. p. 183.

p) Ibid. p. 277.

q) De eo quod iuftum eft circa exhibit. reorum iure inprimis Lus. Sup.

r) *Schmieders Churf. Saechf. Kriegs Recht 2. B. 2 Abfch.*

s) *Ibidem Für einem Fußgänger 6 Thlr. für einem Reuter zu Pferde 12 Thlr.*





## §. XXI.

Eluscemodi conuentiones apud nos initaе sunt plerumque ad certum annorum spatium, quae, nihilominus eo elapso, vsque eo prestant, dum aut reuocentur, aut aliud conuenerit. Nec solum extenduntur ad milites, verum etiam eos, qui in familia militum maioris ordinis sunt (*Domestiquen*) <sup>r)</sup> Vbi notandum, non eadem formula uti, qui in patriam transfugerunt, modo de loco natali, facta sufficienter demonstratione, satis constiterit. <sup>u)</sup>

## §. XXII.

Sunt autem in Electoratu Saxonico maxime memorabiles ac notatu dignae conuentiones, initaе cum Imperatore Romano, ut rege Bohemiae publ. Dresdae d. 17 Aug. 1721. cum regina Hungariae Dresdae d. 12. Dec. 1743. cum Gallia d. d. Dresd. d. 27. Nou. 1741. Cum Borussia et Electore Brandeb. d. d. Dresdae d. 11 Nou. 1741. Harum quidem aliae aboleuerunt, aliae adhuc strictim seruantur. Non lubuit omnes huc transferre, quod et eorum vnice interfit, qui in militia ius dicunt, et facili negotio, earum origo, seruantia, ac numerus aliunde disci atque haberi possit. <sup>v)</sup>

r) Ordin. d. 17. Iul. 1723.

u) Ordin. d. 29. Iun. 1754.

v) Hoffmanni Corp. Leg. Mil. p. 1083. *Schmieders Churf. Sächs. Kr. Recht V. B. 7. Abschn.*





VD 18

cb.

ULB Halle  
004 997 506

3









Pr. 31. num. 13.

1770/61.

19.



EXERCITATIO IVRIDICA

QVAESTIONES

*De remissione delinquentium*

*continens.*

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTISB. CAPITVL. CVR.

IN PROVINCIA SVPREMAE IVDICI LVSAT. INFER.

NEC NON FACVLTV. IVRID. ASSESS. ET

ACADEM. DECEMV.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XX. SEPT. MDCCLXX.

PVPLICE DEFENDET

A V C T O R

CAROLVS CHRISTIANVS MARBACH

SCHANDAV. MISN.

LIPSIÆ

EX OFFICINA LANGENHEMIA



9 496

18

